



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

De osculatione pedum Rom. Pontificis, & de leuatione, ac coronatione. XI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

stus  
ora-  
Sir-  
sco-  
suc-  
n.  
usto  
ater  
ma-  
Set)  
um;  
no-  
tio-  
sli-  
ati-  
que  
rtu-  
cri-  
que  
em,  
lum  
eca-  
res,  
Bi-  
us,  
nas  
erò  
eri  
re-  
ssi-  
au-  
cui  
re-  
res

stores Latini fuere Gabriel Faërnus Cremonensis, & Nicolaus Maioranus, quibus Pius IV. correctorem Græcorum librorum adiunxit, cui in singulos menses x. aureos attribuit.

DE OSCVLATIONE PEDVM  
ROMANI PONTIFICIS.

C A P. XI.

'Ex Iosepho Stephano, Episc. Oriolano.

Lure optimo à Romano Pontifice sandalia Cruce  
insignita gestari, & oscula pedibus eius à piis  
hominibus imprimi.

ROMANI PONTIFICES cùm multa &  
dignitatis & gloriæ insignia à Constantino  
Magno accepissent, quibus per longa tempora  
culti sunt; Vdones quoque ex lineo candidissi-  
mo, ad pedes ornandos acceperunt; de quibus in  
actis S. Sylvestri : γόνατε τέττ' ἐσι λιγνοτάρη<sup>ιδέην πεπὶ τὰ γαρδίγανα χῆνδαι</sup>, id est, Vdo-  
nibus ex candidissimo lineo ad pedes, uti debe-  
re Pontifices. Volebat enim Constantinus  
illos vel linteaminibus candidissimi coloris or-  
nari, vel calceamenta candidissima deferre; mo-  
re veterū Sacerdotum & Vatum, qui huiusmo-  
di calceamentis vtebantur; vt apud Herodia-  
num lib. 5. legimus: Antonium more Vatum  
eius regionis vbi sacerdotio fungebatur, calceos  
candidissimos ex lino gestasse. Hoc tamen  
compertum habeo, Sandalia Romani Pontificis  
aliquo ornatu vel signo peculiari, ab aliis omni-  
bus, quibus Episcopi inter Missarum solemnia  
vtuntur, fuisse discreta: cum B. Antidius apud  
Segebertum anno 412. ex Sandalo, quo Ro-

N 2 manus

manus Pont. erat ornatus, ipsum agnoverit. Sandalia verò inter insignia Pontificum enumerari, quibus ipsi in solemnī sacrificio vntur; docet S. Bernardus epistola 42. & Innocentius 111. epistola decretali ad Patriarchā Constantinopolitanum, Rupertus lib. 1. de diuinis officiis cap. 24. Iuo Carnotensis epistola 76. & sermone 3. de significatione indumentorum: Rabanus lib. 1. cap. 22. & Durandus lib. 3. cap. 28. aliquę quam plurimi.

Sed licet olim Pontifices hoc candidissimi ornatus genere vterentur, multis tamen ab hinc annis, eam consuetudinem intermissam fateri necesse est; cùm iam linteal calceamenta frequenter in usu Ecclesiæ Romanæ non sint, sed purpurea Crux omnium ornamētorum preciosissimo intexta. Cuius rei duplex est caput; alterum populorum reverentia, alterum Pontificum persona.

In primis Pontificum humilitas atque demissio hac vna in re maximè commendari debet, qui cùm omnes populos communī voto, ut docuimus, ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, Crucis Christi osculationem potius quam sibi ipsis, tantum honorem deferri maluerunt, ut omnes Christianos benignè ad oscula pedum exciperent. Itaque ut expressam Christi imaginem referrent, & Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, crucem sandaliis affixerint, ut Christiani homines eos huncores, quos debitos & necessarios Pontifici deferebant, cruce perspecta, alacrius exhiberent. Meritò igitur Pontifex maximus, gentes quas ad ipsius pedes procumbere videbat, ad crucem Domini quam sandaliis impressit, osculandum traduxit; cùm in totius Ecclesiæ more, teste Nicophoro lib. 17. cap. 15. sit positum, non solum crucem venerationis causa osculis petere, sed etiam

etiam Christi & Sanctorum imagines capitibus  
& faciebus admouere, ut refert Zonaras tom. 3.  
in vita Theophili his verbis. παραλαμβάνονται  
τὰς ἀγίας εἰκόνας οὐδέ τις αὐτῶν προσκυνεῖν, καὶ  
τοῦτος οὐ φαντάζεται εἰπεῖν, οὐδὲ ταῦτα προσόφεται,  
id est, assumebat sacras imagines colendas & ado-  
randas, & capitibus & faciebus admouebat. Sed  
de Crucis adoratione cum abunde multis in locis  
Prudentius egerit, in Apotheosi hoc amplissi-  
mum edidit testimonium.

— Iam purpura supplex.

Sternitur Eneada Victoris ad atria Christi;  
Vexillumq[ue] Crucis summus dominator adorat.

Et lib. i. contra Symmachum, totius Senatori  
ordinis exemplo, crucem adoratam memorat:  
Christus purpureum gemmanti textus in auro,  
Signabat labarum, clypearum insignia Christus  
Scripsierat, ardebat summis crux addita cristis.  
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo,  
Complexusq[ue] pedes Victoris, ad inclita stendit  
Procuruit Vexilla iacens, tunc ille senatus,  
Militis ultricis titulum Christiq[ue] verendum.  
Nomen adorauit quod collucebat in armis.

Signum vero sublime Romanorum in spe-  
ciem crucis Dominicæ formatum, quod Impe-  
ratorem Constantimum præcedebat, & à mili-  
tibus & Senatu adorabatur, Labarum dictum  
fuit: fortasse quia laborantibus aciebus subue-  
niret: vel quia in eo deferendo exercituque lu-  
strando, milites qui illud alternis vicibus ve-  
herent, maximè laborarent: ut Paulus Diaconus lib. 11. historiarum, & Nicolaus i. ad con-  
sulta Bulgarorum cap. 7. & 33. retulerunt, mo-  
remque in deferenda & osculanda cruce vberius  
enarrarunt. S. Paulinus Nolanus epistola 42.  
cum de Christi Imperio ageret, ita habet.

Hinc iam & potentes faculi curuant genu,  
Deduntq[ue] ceruices Deo.

Regemq[ue] Christum confitentur principes,  
Et sceptra submittunt cruci.

Nec modò crucem Principes adorabant, illi  
que sceptra submittebant, sed etiam instrumen-  
ta passionis Christi, quibus salutaris hostia Pa-  
tri fuit immolata, demissius venerabantur; ut  
S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosij  
refert: Ecce, inquit, clavis Christi in honore  
est, & quem ad mortem impressimus, reme-  
dium salutis est. Ferro pedum eius Reges in-  
clinantur, Reges adorant, clavum crucis eius  
diademati præferunt Imperatores, & Ariani  
eius potestatem imminuunt.

Sed ex altero capite Romani Pontifices ex-  
pressam Apostolici muneric imaginem prætu-  
lerunt. Qui cùm docendi vniuersum orbem  
curam acceperint, & euangelizādi potestatem,  
pedum quoque pulchritudine ornati sunt ad  
pacem & euangelium deferendū, ut mundi &  
perfecti, crucis virtute, in toto orbe decurrerent.  
Quàm pulchri ( ait Esaias pedes euangelizan-  
tium pacem, euangelizantium bona. Miratur  
Propheta in quas terras euangelij præcones ab-  
ierint, quàm ornatis pedibus incesserint, quos  
Christus sua virtute abluiisset; quanta lætitia  
perfusæ gentes, ad quas Apostolici viri talibus  
ornamentis insignes accesserant; ut non solum  
illæ gratiam in nuncio atque euangelio esse ar-  
bitrarentur, verùm etiam totos pulchros ac spe-  
ciosos agnoscerent, ad quorum usque pedes Spi-  
ritus sancti virtus crucisque gratia decurrisset.  
Soient enim quædam externa pedum orna-  
menta ad gratiam & venustatem apponere, &  
spectantium conciliare animos, cùm in eis nihil  
indecorum & molle conspicimus. Ob quam  
cau-

causam sponsus suam sponsam commendabat,  
quod in calceamentis suis pulcherrimi essent  
incessus, quod illa in euangelij præparatione,  
non per vagas & ancipites vias, in composito  
aut molli gressu, aut fractis passibus aberraret,  
sed cum decore maximo, & externo quodam  
pedum ornatu incederet. Tertullianus libro de  
Habitu mulierum, *cultum* appellat, qui in auro,  
& argento, & gemmis, & vestibus continetur:  
*ornatum* verò in habitudine partium corporis,  
qua oculos trahunt, constituit. Vtrumque Apo-  
stolici viri, qui pacem cum Deo toti mundo con-  
ciliant, & euangelium pacis per legatos & epi-  
stolas quotidie euulgant, magna omnium ad-  
miratione assecuti sunt. Nam ut muneris  
maiestatem, & pedum decorem ostenderent, &  
se ad Euangelij prædicationem expeditos ac  
promptos indicarent, crucem calceamentis ad-  
diderunt, ut non à profanis rebus pulchritudi-  
nem pedum occupari, sed ex ipsomet officio &  
munere cultum & ornatum colligere vide-  
rentur.

Præterea omnium Christianorum fronti &  
pectori crux Christi insigitur; ne fidem erubef-  
cerent, ut ait Augustinus in Psal. 30. sed supera-  
to diabolo, *trophæum* in frontibus reportarent:  
Romani verò Pontificis pedibus imprimitur,  
ut crucis virtute fulctus, gressus nostros in  
viam pacis ducat ac muniatur. *Qui cùm totius*  
gregis Christiani ductor ac præceptor sit, opor-  
tebat quidem ne pedibus aliquo incurreret,  
aut laberetur; ne temerè ipse dux omnium la-  
pus, populum Dei in grauissimos errores pre-  
cipitem ageret. Quare ut Pontifex hoc sacro-  
sanctum priuilegium cruce Christi, in qua  
omnia mysteria & sacramenta omnia conti-  
nentur, (ut ait Augustinus Serm. 19. de sanctis  
tom. 10.) sibi donatum ostenderet, pedes suos  
N 4 Christi

Christi cruce fulciuit; ne ipse qui nobis viam monstrat, & nos qui eius vestigia sequimur, aliquam aberrationem haberemus. Non enim dat Dominus sanctorum pedes in commotionem, cum eorum animas seruet ad vitam, cum in eorum sanctitate, virtute, & exemplo vita salusque omnium Christianorum sit posita. In commotionem, inquit, *eis τάλαντον*, id est, in fluctuationem, ne omni vento doctrinæ ferantur; sed immoti & stabiles, in pietate & vera religione persistant. Seruat enim Dominus pedes sanctorum suorum, ut cecinit Anna I. reg. 2. Dirigit gressus, ut ait Angelomus Monachus lib. 1. commentariorum in libros Regum, quia Dominus Apostolicos viros inter persecutionum scandalum conservat & tueritur, ut omnes ad illorum pedes tutò accedant; iuxta illud Deuteronomij 33. Qui appropinquat pedibus eius accipit de doctrina eius. A quibus omnia impedimenta terrenarum cogitationum expelli Dominus præcipit, cum pedum paluerem excutere imperauit, ne prædicationis muneri impedimento forent; ne villa heretica prauitatis face inquinati, ad prauum laberentur opus, aut à recta ratione deflecterent.

Quæ omnia cum à passione Christi habeant firmitatem, non abs re Pontifices, ut hanc mysticam intelligentiam significare viderentur, crucem pedibus impresserunt, iuxta illud psalmi 67. Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimico ab ipso. Tunc enim pedes sanguine tinguntur, cum cruce Christi decorantur, tunc linguae canum ipsum sanguine imbuuntur, eū hæretici, more canum, vestigiis summi sacerdotis obuoluti pedes lambunt, veniam postulant, misericordiā exorāt, & sandaliis impressam crucem osculantur.

Qui mos, usque adeo verus & firmus est habitus,

bitus, ut nusquam Romanum Pontificem depictum, aut marmore expressum, aut ære ductum videoas; quin etiam præter insulam & Sacerdotij ornamenta, crucem pedibus appictam ternas: ut ex imaginibus venerandæ vetustatis, quæ in basilicis Laurentiana & Vaticana multis abhinc annis depictæ sunt, constat.

Quare nostros recentiores facile deducitur in summo errore versari, cum hanc calumniam Ramano Pontifici temere inurant. Nam si olim, ut ait Cyrillus in Julianum tom. 3. ædium vestibulis cruces appingebantur, & cælitus misse vestibus militum impressæ fuerunt, ut Nazianzenus oratione 2. in Julianum retulit: Ecclesia etiam ut morituris opeim ferat, sacrosancto signo crucis pedes notat: bestiarum item corpora, ut ait Seuerus, sanctus Rhetor, carmine de mortibus boum; & Chrysostomus in demonstratione quod Deus sit homo; crucis forma signantur domus, plateæ fori, sindones, promptuaria omnia, vestes denique, ut ait Leontius Cyprus lib. 5. contra Iudæos, hac nota pinguntur, ut statim Christi passionem in memoriam reuocemus. Quod ergo dedecus, quod probrum Romanus Pontifex admitteret, quam turpitudinis notam, quem pietatis neglectum, cum sandaliis Christi sacratissimum signum inducit? Quod sanè non solum in memoriam redigit, quam primùm pedes Pontificis cruce decoratos inspicimus, vanas terrenasque cogitationes esse calcandas, & fuitiles animi perturbationes, quæ pedum nomine exprimuntur, affigendas cruci: verum etiam omnia, siue quæ in cælis siue quæ terra continentur, sacratissimo signo, in quo Dominus noster acerbissimos pertulit cruciatus, & amplissimum egit de hostibus triumphum, esse prosternenda. Quod sanè nusquam alibi æquè ac modò verius experimur,

N. 5

cūm

cum omnes ad Pontificis pedes ruant, & ad cruce  
osculandam, communi voto præcipites  
ferantur.

## IDE M

I O S. S T E P H A N V S  
D E L E V A T I O N E , S E V  
P O R T A T I O N E R O M . P O N T .

*Cur Romanus Pontifex humeris deferatur.*

**N**on est alienum, ut de levatione Pontificis differamus. Nam veteres rerum scriptores, ut aliquem in Regem vel Imperatorem electum significant, levatum dicunt; ita Claudianum loquutum arbitror:

*Sed mox cum solita miles te voce levasset.*

Fuit vero id motis, non barbararum tantum gentium, sed ipsorum quoque Romanorum, ut quem Imperatorem facerent, eum in altum tollerent, & in humeros efferrent. Ammianus Marcellinus lib. 22. de Iuliano à Gallicanis militibus renunciato; impositus ait, scuto pedestri, & sublatu seminens populo silente Augustus renuncias, iubebatur diadema proferre. Corn. Tac. lib. 20. impositusque scuto, more gentis, & sustinenzium humeris vibratus, dux eligitur. De Gothis Cassiod. lib. x. Variarum epist. 31. Indicamus parentes nostros Gothos inter procintiales gladios, more maiorum scuro supposito, regalem nobis consulisse, prstante Deo dignitatem, ut honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Ad Viennensis de Clotharij filijs scribens: Sigibertum contra Chilpericum fratrem profectum à Fran-

cis more gentis, clypeo impositum, regem esse constitutum. Capitolinus in Gordianis: Propere venium est ad oppidum Tysdrum, inuentusq; senex venerabilis iacens in lectulo, qui circumfusus purpura, humi se abiecit, ac detrectans eleuatus, & Imperatorem se appellari passus est. Herodianus lib. 7. Erat puer quidam infans ex Gordiani filius natus, nomen autem referens, nunc submissis quibusdam, afferri ad se iusserrunt, qui cum domi ludi bundum offendissent, impositum in humeros, per medium ferebant multitudinem, plebi ostentantes, ac nepotulum Gordiani dictantes, vocantesque eum nominatim, populo acclamante, & consper gente puerum frondibus.

Eisdem quoque temporibus non modo principes levabantur, sed etiam Vrbis praefecti, ut suum fastigium altius tollerent, carpento vehebantur; & eos iam aduentare, publica voce praconis denunciabatur. Symmachus lib. 1. precedebat praeco, aduenire praefecturam ubique denuncians. Cassiodorus lib. 6. form. 4. Carpento vcheris per nobilem plebem, publicate voce comitantur; fauores gratissimi consona tecum voce procedunt.

Pontifices vero Romani qui in æterna Urbe summam auctoritatem diuinitus gerunt, ut suam dignitatem ostenderent, olim vehiculis per urbem deferebatur, circumspetè vestiti, ut A. Marcellinus lib. 27. in Damasi & Ursicini contentione, narravit: Neq; ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, huius rei cupidos ob imperandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantq; Pontifices vehiculis insidentes, circumspetè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum:

eorum conuiuia regales superent mensas. Quo  
planè tempore infelix ille Prætextatus iam consul  
designatus, cùm Episcopatus amplitudinem con-  
sulatui prætulisset, homo quidem sacrilegus &  
idolorum cultor, solebat, ut ait Hieronymus epi-  
stola ad Pammachium, *Audens B. Papa Damas-  
so dicere; facite me Romanae urbis Episcopum, &  
ero potius Christianus.* Ex quibus verbis liqui-  
dò constat, in vrbe, Romani Pontificis dignita-  
tem,, etiam principum virorum oculos pellexisse,  
cùm omnes reipub. magistratus huic vni magi-  
strati cederent: vt Cassiodorus lib. 10. per varias  
epistolas docuit.

Fuisse verò veterum sacerdotum morem, vt  
carpentio ob muneris amplitudinem veherentur,  
auctor est Tacitus lib. 12. suum quoque, ait,  
*Agrippina altius tollere, & carpento capitolium  
ingredi, qui mos sacerdotibus, & sacris Druidi-  
bus antiquitas concessit, venerationem augebat  
fæmina.* Id planè virginibus in usu fuisse, liquidò  
ex Artemidoro lib. 1. de Insomniis constat, &  
præcipue Vestalibus, quæ comitatu & pompa mi-  
nistrorum circumfusa lecticæ, publicè deduce-  
bantur: vt narrat S. Ambrosius lib. 1. epist. ad  
Valentinianum.

Romani verò Pontifices præter vehicula &  
carpenta, quibus publicè per urbem deferebantur,  
gestatoria quoque sellam habuere; quam lecti-  
carij homines suis humeris sustinebant.

Quod præter Euodij locum, in V. Synodo, vbi  
Apostolicæ confessionis sellam fuisse commemo-  
rat; ex ordine Romano vetustissimo, ante Gela-  
sium papam conscripto, satis in aperto est; vbi sic  
egitur: *Cùm verò ecclesiam introierit Pontifex,  
non ascendit continuò ad altare, sed prius intrat  
secre-*

secretarium sustentatus à diaconibus, qui eum suscepserunt de sellari descendente. & alibi: Diacones eum descendente de sellario accipiunt obuiis, ut aiunt, manibus: ubidum venerit, & in sella sua sederit, diacones salutato Pontifice egrediuntur de secretario. & alibi: Sellam Pontificis cubicularius laicus deportat, ut parata sit, dum in sacrario venerit. paulò post: Pontifex prius intrat in secretarium sustentatus à Diaconibus, qui eum suscepserant de Sellario descendente, ubi dum venerit sedet in sella sua. Hæc eadem ordo Romanus multis in locis, & eisdem ferè verbis inculcat.

Quid verò sit *sellare*, licet à multis dubitatum hactenus fuerit, credo tamen, ni fallor, huius vocis lucem inuenisse, cum in veteri Glossario hæc vox, ex Græco, aperta significatione explicetur. δίφρος, Sella, διφρόφορος, Sellarium. Hæc Glossarium. διφρόφορος apud probatae fidei autores, ferentes sellas curules dicuntur, quemadmodum διφρος, apud Plutarchum in Galba, & in Problematis Romanis, sellam curulem significat. In Etymologico Græco. διφρος, dicitur, παρὰ τὸ δέσμο φέρειν, quod à duobus deferatur: estq; genus sellæ vel Regij throni atque consensus, apud Menandrum, & Homerum. sic διφρόφορος, sunt illi qui sellas curules deferunt, ut moris erat apud Persas, teste Herodiano, apud quos ea gestationes in usu fuerunt, qua à duobus lecticariis fierent.

Constat igitur Pontificem maximum à Sellarium, id est, lecticariis hominibus per urbem, in sellari, id est, in sella curuli insigni delatum fuisse, & ab eo descendente obuiis manibus, ut ait ordo Romanus, exceptum. Quod multorum Pontificum exemplis aperte demonstrari potest. Nam Stephanus II. ut refert Platina, & Francis-

cus

cus Ioannetus cap. 90. humeris in Basilicam Constantianam, & inde Lateranam delatus est: Et Hadrianus 11. Lateranensem Ecclesiam à clero & proceribus deportatus; ut habetur dist. 63. cap. Cùm Hadrianus secundus ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei genitricis Domina nostra quæ dicitur ad præsepe, traheretur ad Lateranense patriarchium; certatim à clero & proceribus, & plebe deportatus est.

Leotiam VIII. cùm summus & vniuersalis papa Romanæ Ecclesiæ tertio fuisse acclamatus, ad Lateranense palatum, secundum consuetudinem cum laudibus ducitur, vt ait Liutprandus lib. 6. cap. 11. & certo tempore, in Ecclesia S. Petri ad summum sacerdotium, facta consecratione attollitur. Gregorius IX. gemmis auroque circumtectus, ad Lateranum ducitur.

Quod planè cuiquam mirum videri non debet, cùm ab Esaiâ hæc Pontificum celebris gestatio prædicta iam fuerit, cap. 49. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias super humeros portabunt. ea quidem causa, quia in magno pretio à mundi principibus futuri erant Ecclesiæ præfides, nec aliquod honoris, studij, officiique genus, ab illis prætermissum, quod Ecclesiæ magistratibus consonum videretur. Accidit hoc ideo Pontificem in altum deferri oportere, vt populum ovesque Christi sibi creditas circumspicere, eisque fausta precatione benedicere; & populi rursum illum in sublimi loco præsidentem commode spectare, & ex vultu pastorem possent agnoscere: vt inde protestationem fidei conciperent maximam, quæ aspicerent Christi Vicarium, & Petri in eo quasi throno gloriæ successorem.

I.D.E.M.

I D E M

## DE CORONATIONE

ROM. PONTIFICIS.

**A**vream Coronam omnes principes, ut impe-  
rij maiestatem ostenderent, honoris causa  
capite gestarunt. Primum David, qui ante Ho-  
merum & omnes veteres scriptores regnauit, coro-  
nam auream, ut lib. 2. Reg. cap. 12. legimus, talen-  
ti pondere, geminis preciosissimis illuminatam,  
ex urbe Ammonitarum, quam bello subegerat,  
gestandam sibi sumpsit. Congregauit, inquit  
Scriptura, David omnem populum, & profectus  
est aduersum Rabbath, cumq[ue] dimicasset, cepit  
eam. Et tulit diadema regis eorum de capite eius,  
pondio auri talentum, habens gemmas pretiosissi-  
mas, & impositum est super caput David. Cy-  
zantes Medorum Rex (ut scribit Zonaras tom. 1.)  
filiam pulcherrimam ad Cyrus misit cum aurea  
corona, quam capiti imposuit, & totam Medicam  
prouinciam pro dote dicauit. Romani in trium-  
pho auream coronam deferebant, ut Gellius est  
auctor: quod profecto absurdum videretur, cum  
historici omnes, lauro, Imperatorem qui trium-  
phum agebat, redimitum & ornatum memorent;  
nisi nos Tertullianus in *Corona militis*, ab hac  
dubitacione eximeret: *Triumphi*, inquit, *laureas*  
*foliis struitur, aduersas lemniscis inauratur la-*  
*mulis.* Plinius lib. 21. cap. 3. lemniscatas coronas  
sive radiatas, foliis aureis & argenteis constructas  
fuisse memorat. Zonaras tom. 11. triumphi pom-  
pam describens, duas coronas inter triumphan-  
dum gestari refert, *lauream* unam, quam victori  
bu-

bis imponebant, auream alteram gemmis radiis-  
que interpolatam, quam publicus minister, qui  
eodem curru vehebatur, supra caput Imperatoris  
tenebat; de qua Iuuenalis Satyra 10.

Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit ulla,  
Quippe tenet sudans, hanc publicus, & sibi consul  
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

Hanc verò radiatam coronam arcus  
cælestis similem fuisse, ut diuinitatis specimen in-  
dicaretur; auctor est Velleius Paterculus lib. 2. de  
Octauio Cæsare loquens: *Aduentanti Romam  
immanis amicorū occurrit frequentia, & cùm in-  
traret urbē, solis orbis super caput eius curvatus,  
aqualiter rotundatusq; in colorem arcus, velut  
corona tanti mox viri capiti imponens conspectus  
est.* Suetonius in Aug. cap. 94. *Videre visus est  
filium mortali specie ampliorem, cum fulmine &  
sceptro, exuuiisq; Iouis Opt. Max. ac radiata co-  
rona super laureatum currum, bissenis equis can-  
dore eximio trahentibus.* Plinius in Paneg. Ho-  
rum unum si prestitisset alius illi iam dudum ra-  
diatum caput, & media inter Deos sedes auro sta-  
ret, aut ebore. Incertus auctor Panegyrici Ma-  
ximiano dicti: *Trabea vestre triumphales, &  
fasces consulares, & sella Curules, & hac obse-  
quiorum stipatio, & fulgor; & illa lux diuinum  
verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt  
ornamenta meritorum pulcherrima & augustissima,* Latinus etiam Pacatus in Panegyr. Olim  
seueri credidere maiores Castoras geminos alben-  
ribus equis, & stellatis apicibus insignes, puluerem  
eruoremq; Thessalicum aquis Tyberis abluentes.

Coronas etiam capitibus statuarum additas  
fuisse, Ammianus Marcellinus lib. 17. de obelisco  
loquens. *Ei sphara superponitur ahenae aurie  
luminis.*

laminis nitens: qua confessum vi ignis diuini contacta, ideoq; sublata facis imitamentum, in figura eorum ibidem in auro imbracteatū, veluti abundanti flamma canentis. Ibidem lib. 25. Maximiani statua Casaris locata in vestibulo regia, omisit repente spharam aenam formatam in speciem poli quam gestabat. Ex quibus planè testimoniis collegit Lazius lib. 9. *Commentarium Reipub. Romana*, fluxisse apud maiores nostros morem illum, quo sanctorum imagines in templis cum solari corona formantur; præsertim cum iis radiatis coronis splendidiores appareant, divinitatisque specimen oculis intuentium exhibeant. Sed licet curiosius inde petitam consuetudinem fingendi formandique radiatos sacrarum imaginum vertices, absurdum videri non debeat; magis tamen veritati consonum arbitror, ab ipso met lumine quo saepe sanctorum facies enitebat, hanc consuetudinem descendisse; nam ut ait Abdias lib. 5. & Eusebius lib. 2. historiæ, saepe Apostolos ingens lux circumfusit ut eam nullus aspectus ferre posset, exemplo Moysi, cuius facies ex Dei congressu fulgebat.

Ergo ut ad institutum regrediar, olim Persarum Reges tiaram rectam capite gestabant, quam *σίφαρον νικητής έτον* appellat Zonaras. Apud quos lex erat (ut ait Dion Chrysostomus oratione 1. de libertate & seruitute) ut capitalis esset is, qui eam sibi capiti imponeret. Gentium quoque sacerdotes coronas capitibus deferebant ut decus illud ostenderet, quod maximè ad sacerdotij præsidium splendoremque spectare videretur. Vnde veteres admirati sunt sacerdotem Comanorum in Ponto, cui, ut à Strabone litteris proditum est, maximus secundum regem honos habebatur, & regium

regium diadema gestare licebat. Præterea in Emesa vrbe Phœniciae, sacri viri qui sacerdotio fungebantur, tunicas intextas, manicatas, ad talos vsque demissas deferebant, & capite coronam pretiosorum lapidum, variegatis coloribus fulgentem, honoris causa gestabant. Quem ornatum Antoninus Cæsar, qui ex Solis sacerdote, militis turba, Imperator Romanorum electus est, inter serias grauesque causas retinuit, vt Herodianus lib. 5. testatur: *Antoninus Cæsar ex Syria profectus, Nicomedia hie maut, & statim cultum patrīj numinis celebrare cōpit: purpura auroq[ue] redimitus, coronas sustinens ad tiare modum auro, lapillisq[ue] preciosis insignitas, forma habitus inter Phœnicum stolam, & Medorum amictum.* Postea verò Constantinopolitani Imperatores inter triumphandum, hoc ornamenti genus usurparunt, quod tūphum dixerē, ut in vita Basiliij Porphyrogeniti legimus. *πατήσας θεάτρον ἡδει ὁ εὐθύνας, τὸν Κύφαν καλεῖ, id est, Triumphum duxit tiara recta, quam illi tūphum appellant.* Sed ille nonnulli recentiorum Calyptram dicunt, auctore Nicephoro Gregoril. 6.

Nostrī verò Pontifices maximi, cùm duplīcem personam sustineant, dupli etiam dignitatis causa, corona ornantur, vt Innocentius I I I. Serm. 3. de coronatione Pontificis, confirmavit: *Ecclesia sponsa non nupsit vacua, sed dotem mihi tribuit absque precio preciosam, spiritualium plenitudinem, & latitudinem temporalium: magnitudinem, & multitudinem virtutumque. In signum spiritualium contulit mihi mitram: (loquitur enim de se Innocentius Papa) in signum temporalium, dedit mihi coronam, mitram pro sacerdotio, coronam præ regno, illius me constituēs in vi-*

in vicarium, qui habet in vestimento, & femore  
suo scriptum, Rex Regum & Dominus domi-  
nantum.

Sed age nunc de *mitra*, & de regia *corona* ali-  
quid dicamus, ut quantum Ecclesiasticis moribus  
haec ornamenta accommodata videantur, breui-  
ter explicemus.

*Mitra* igitur apud Suidam, ἀναδέσμη κεφα-  
λῆς, capitis redimiculum dicitur, & l. 28 ff. de  
auto & argen. legat. ut explicat Brissonius. Apud  
Eusebium lib. 2. cap. 1. πέπλον, siue laminā  
nominatus, qua Iacobus frater Domini ornatus  
est, quam primum ab Apostolis in Episcopum  
Hierosolymitanum fuit consecratus. Quod planē  
ornamenti genus licet ab Aaron, & eius filiis ori-  
ginem duxerit, postea tamen in ecclesiam transla-  
tum est, ut eo omnes omnium ferè nationum Epi-  
scopi vterentur. Polycrates Ephesinus lami-  
nam gestauit, ut ait Eusebius lib. 3. cap. 31. cùm  
Ephesi sacerdotio fungeretur. Alij quoque Pon-  
tifices omnia ferè sacerdotum veterum ornamen-  
ta, talarem tunicam, stolam seu πεδίγεα, exlestem  
gloriae coronam, hoc est, *Mitram*, apud Eusebium,  
lib 10. cap. 4. gestabant, ut ornatores & insignio-  
res apparerent, & de iis plura Amalarius Rabanus,  
& alij grauissimi auctores docuerunt.

Sed haec quidem quæ de *mitra* dicuntur, mul-  
torum hominum consensione recepta ac compro-  
bata sunt; quæ verò de *regno* seu *regia corona* ex-  
plicari debent, nonnullis sunt tenebris inuoluta,  
quæ pro ingenij tenuitate dissoluam.

Primum igitur omnes communi sententia ex-  
istimant, hoc ornamenti genus, à Constantino  
Magno originem duxisse, ut ex actis B. Sylvestri  
colligitur. Quam sententiam omnes Pontifices  
ample-

amplectuntur, ut Leo ix. epist. aduersus præsumptionem Michaelis cap. i 3. & Innocentius III. serm. i. de B. Sylvestro confirmauit: *Constantinus secedens Byzantium, coronam capitis sui voluit B. Sylvestro conferre, sed ipse pro reverentia clericalis corona, vel virilitatis causa, noluit eam portare.* Veruntamen pro diademate regio utitur auri Phrygio circulari: & paulò post: *Romanus itaq; Pontifex in signum Imperij, utitur regno, & in signum Pontificij, utitur mitra; sed mira semper & ubique utitur, quia Pontificalis auctoritas est prior, & dignior, & diffusior quam Imperialis.* Arbitror tamen coronam illam, siue diadema quæ sola cingebat tempora (cuius Plutarchus in vita magni Pompei meminit, & in vetustissimis numismatibus exprimitur,) ob reverentiam clericalis coronæ à Sylvestro Pontifice reiectam fuisse; cum dedecus videretur, raso capiti diadema impnere, vel apertum & ad cutem usque detonsum, vitta purpurea cingere. At verò Sylvester Pontifex *Phrygium circulare* gestandum sibi sumpsit, id est, *Phrygiam tiara* n, ut Iuuenalis Sa. tyra. 6. ait.

*Et Phrygia vestitur bucca tiara.*

Vel illud ornamētum ex Phœnicia, vel ex Phrygia usurpatum, amborum enim idem erat ornatus; quia Phryges, ut Herodianus est auctor, à Phœnicibus originem duxerunt. *Phrygium* enim ornamētum acu depictum dicitur, & *Phrygia* vestis picta, eiusque artifices *Phrygiones* appellantur, apud Non Marcellum. Hoc verò *Phrygium* ex auro confectum, circulariique forma præditum, idem cum *tiara* resta est, ut ex eisdem S. Sylvestri actis, tanquam ex certissimis tabulis, constat. Nam cum omnia ornamenta enumerasset Imperator,

quæ

quæ dono contulerat Pontifici Sylvestro , & in Phrygij vocem incidisset , fortasse multis obscuram , eam explicauit , ut omnibus innotesceret , de quare eloqueretur . ὅμειος δὲ οὐ γένος φρύγιον τοῦτο  
 ἐπὶ καλυπτόγονη τὸν μίτραν μὴν αἰδοναῖ τὸν ἀδιά-  
 μον , ἡγεον , τὸ λῶρον ὄπεριαδε τὸ βασιλικὸν περικύ-  
 λλογίου χέρα . Similiter , inquit , εἶ Phrygium , nem-  
 pe tegmen capit is siue mitram ; atque superhume-  
 rale , nempe Lorum quod imperatoris collum soleat  
 obnubere . Ergo constat mitram dictam fuisse  
 Phrygium , & à Loro distinctam ; cum mitra pro-  
 pria Phrygium esset , ut poeta :

*Et tunica manicas , & habent redimicula mitra .*

Sed codex quidam Latinus saevis vetustus ha-  
 bet , *Pileum , vel mitram , Phrygium : nec non &*  
*superhumeral , videlicet lorum .* vt notat Aug.  
 Eugubinus de donatione Constantini .

Theodorus Balsamon has voces parum distin-  
 guens , multis errandi ansam præbuit . Qui cùm  
 Phrygium & lorum obscurè confunderet , nescio  
 quam inde recentiores opinionem excogitarunt  
 de pallio , quo Archiepiscopi , Rom . Pontificis au-  
 toritate , induuntur ; quasi Phrygium idem esset  
 cum pallio & loro : quæ minus aptè videntur con-  
 uenire historiæ , quam Nicephorus lib . 14 . cap . 34 .  
 de B . Cyrillo cōscripsit . Est enim lorum idem for-  
 tasse cum stola & pallio , quod Alexandrini Pa-  
 triarchæ ex collo defuncti accipere consueuerant ,  
 vt narrat Liberatus cap . 20 . sui Breuiarij , & Ant .  
 Augustinus in Epitome Iuris veteris lib . 2 . tit . 3 .  
 Phrygium tamen nihil quicquam commune ha-  
 bet cum pallio ; vt ex veteri pictura S . Cyrilii Ale-  
 xandrini , qui Phrygiū à Cælestino acceperat , luce  
 clarius perspicitur .

Alij auctores non ad Constantium , sed ad  
 Clodo-

Clodoueum huius *cerona* originem reuocant, vt  
ex Segeberto Anno Domini 550. colligere con-  
tendunt. Clodoueus rex, ait Segebertus, ab Ana-  
stasio Imperatore codicillos de *consulatu*, & coro-  
nam auream cum gemmis, & tunicam bladteam  
acepit, & ea die consul, & Augustui appellatus  
est. Ipse vero Rex misit Romam S. Petro coronam  
auream cum gemmis, qua regnum appellari solet.

Aimoinius lib. i. capite 24. idem prorsus af-  
firmat, & Anastasius bibliothecarius sub Hor-  
misda Pontifice, multa dona B. Petrum accep-  
isse testatur. Apud quem Constantium II.  
Pont. Max. Anno 766. in S. Petro coronatum  
legi, & Philippum I. Papam, eodem anno, con-  
secrationem & coronationem accepisse. Sed vete-  
res scriptores *consecrationis* nomine coronationis  
ritum amplectuntur: nam cum multi Carolum  
Magnum in Imperatorem consecratum refe-  
runt, cum populi applausu *coronatum* fuisse signi-  
ficant, & sub ea voce, etiam coronationis ritum  
intelligunt. Vnde facile colligi poterit, coro-  
nationem Pontificis a priscis temporibus origi-  
nem duxisse: cum anno 683. sub Agathone I. &  
Benedictio II. fuerit abrogata consuetudo, qua  
pecuniam pro consecratione Pontificis dare, vel  
assensum consecrandi & coronandi ab Impe-  
ratore expectare oportebat. Eugenius II. an-  
no 824. II. Kal. Iunij, coronatus est. Benedi-  
cto anno 855. corona imposta. Formosus I.  
papali corona, anno 891. insignitus. Sed post  
Clementem II. anno 1044. auctore Panuino,  
omnes Pontifices coronationis insignia acce-  
perunt: ut inde verissime ab Isaia cap. 61. vati-  
cinatione praedictum agnoscamus, sacerdotes  
vestimentis salutis induitos, & quasi sponsos coro-  
na decoratos fuisse. Quem locum aperte Aquila  
transtulit, inquit οπέρος στόφαρω, id est, eum con-  
stitu-

stitutum esse Pontificem, qui in ea sacra dignitate coronam capite deferret. Erit, inquit, cap. 12. in die illo, vocabo puerum meum Eliachim filium Elchia, & induam illum stola, & coronam dabo u. Corona symbolum est Imperij, stola signum œconomiae, quæ varia est in domo Domini. Subiugit Propheta ex interpretatione Eusebij, Imperium & œconomiam tradam in manus Elia-chim, ut cum omni auctoritate & potestate præ-effer Pontificatui, in regno Iuda. Sic in Apocalypsi cap. 14. Filius hominis corona aurea insig-nitus, nube innixus apparuit. & cap. 19. Ver-bum Dei equo albo insidens, & multis diade-matibus (quibus se suosque coronaret) decora-tus visus est à Ioanne; ea quidem cauta (ut ait Anselmus) quia ob summam sapientiam, quæ per aurum exprimitur, victoriam de omnibus reportauit, & suo fidei Imperio subegit. Sic etiam Pontifex maximus, qui omnibus aucto-ritate præest, gentes, populos, tribus, & natio-nes sua auctoritate subiecit; ut Christi potestati subiugaret. Qua de re merito triplicem coro-nam capiti aptauit Pontifex maximus, ut se aliis regibus gloria, auctoritate, rebus gestis, iu-periore ostenderet.

Post omnes Pontifices, nostro seculo Paulus 11. qui maximè ornamenta Pontificia excoluit, Regnum gemmis, auroque distinctum mirum in modum decorauit, cum omnibus aliis dignita-te antecederet. Quare ut meo munere defunctus videar, Cesar Costa (lib. 1. Variarum ambi-guiratum cap. 3.) solùm huius rei veritatem per translañā aspergit. Nā neq; triplex Corona à tribus illis, quas ipse existimat, causis duxit originem, neq; ad tituli mysticā significationem reuocari debet: cùm hæ omnes paru ponderis & auctori-tatis obtineant apud eos qui veritatē inquirunt.

STE-